

Romano, plures Ecclesia, tamquam veros Christi Martyres honorat, qui cum nondum baptizati essent, proprio sanguine meruerunt baptizari; ergo supponit, & credit, Martyres, etiam sine aquæ baptismo salutem æternam consequi.

§. VI. Tandem: si Martyrium ex se ipso non haberet justificandi virtutem, haberet illam ratione charitatis, vel contritionis sibi adjunctæ; nullum igitur esset discrimen inter Baptismum sanguinis, & flaminis; summum vero inter hæc duo baptismata discrimen esse, ex constanti Sanctorum Patrum doctrina plene, planeque constat; ergo ex se ipso Martyrium habet virtutem justificandi.

§. VII. Probatur secunda pars contra Kemnitium. Ex Patrum testimoniis Baptismus sanguinis non solum aquæ Baptismo comparatur, sed etiam illo dicitur excellentior; ergo si Baptismus aquæ ex opere operato, ut Scholæ loquuntur, justificat, Baptismus sanguinis etiam ex opere operato justificat; deinde si Martyrium ex virtute passionis, & ex meritis Jesu Christi infantes justificat, cur non eadem ratione justificare debet adultos? quid? quod ex opinione Kemnitii sequeretur, dari posse veri nominis Martyrem sine Martyrio? demus enim, in aliquo homine, qui Confessor sit, & non Martyr, fidem, aut charitatem intensiorem, quam olim habuerit aliquis Christianæ Religionis Martyr: ille ne martyrii gloriam vere, & proprie haberet, majorem fortasse, quam iste, qui passione sua Christum clarificavit? sed nos quoque piget in his Kemnitianis nugis refellendis diutius immorari.

Probavimus contra Kemnitium, & Illiricum in Martyrio ex opere operato peccata dimitti. At in adultis, ut Martyrii effectum consequantur, istæ requiruntur conditiones. I. Fides; nam extra Ecclesiam, nec etiam per Martyrium, aliquis schismaticus, vel hæreticus, salutem æternam consequi potest. II. Spes; urget enim tunc huius virtutis præceptum. III. Charitas erga Deum, & proximum: idque constat ex Apostolo I. ad Corinth. 13. & ex Tertulliano contra Praxeam. IV. Contritio, sed necesse non est, hanc esse actualem, ut contendebat nobis amicissimus Dominicus